



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

11. Argumentum principale ponitur quo amplius confirmantur dicta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

332 Disputatio XIX. De voluntate Dei.

Et ratio evidens à priori est, quia effectus formalis constituitur essentialiter à forma, cuius effectus formalis est, quare forma non solum est essentia, sed etiam de essentia effectus formalis; sed res non potest esse actu sine sua essentia actuali; quia definitio essentiae hæc est, primum, & intimum constitutum rei, sine quo nec esse, nec intelligi potest ipsa: ergo effectus formalis non potest esse actu sine actuali forma; ita ut si sit effectus formalis extrinsecus actualis nullo modo sit, neque possit esse sine sua forma extrinseca actuali; & si sit effectus formalis intrinsecus actu non possit esse sine actuali forma intrinseca; unde corrupta actu forma necesse est ut actu corrumperetur, & non sit id quod constituitur essentialiter per illam, scilicet effectus formalis illius. Minor illa præcipua sic probatur.

213 Quia actus voluntatis actu non est, sed potius corruptus est, & præterijt omnino: ergo actu non est, neque intrinsece, neque extrinsece in voluntate voluntarium physicum, quod est effectus formalis talis actus.

214 De intrinseca existentia patet manifeste ex corruptione, quam ipsi aduersarij supponunt siquidem dicunt manere hoc concretum seu hic effectus formalis, voluntarium nimirum actu relictum ex actu peccaminoso voluntatis omnino destructo, corrupto, & præterito: ergo actu intrinsece non existit.

215 De extrinseca existentia actuali evidentius patet, quia omnis denominatio physica extrinseca, in aliquo debet esse intrinsece physice actu, ut patet in visione, quæ si extrinseca est respectu obiecti intrinseca est respectu potentie, quod patebit discurrenti per omnia, quod non contingit in actu voluntatis, qui nullibi intrinsece est, postquam destructus, & corruptus est. Deinde quia cum actus voluntatis sit intrinsece, & ex se essentialiter actus vitalis, & immanens, si actu est intrinsece, debet esse in principio, & potentia, à qua fluit, & ex illa denominare extrinsece obiectum; atqui actus præteritus non est intrinsece in voluntate: ergo non est extrinsecus respectu alicuius; vnde prior illa denominatio peccati, & macula non manet vere, & proprie physice voluntaria de præterito, quandiu per contrarium actum non retractatur, sed solum est verum dicere fuisse voluntariam, non autem esse actu, ac proinde non satis est, ut dicatur de præterito velle homo, quod antea voluit, nec actualiter, nec virtualiter, quia non est principium virtuale voluntarium sine aliquo actuali physico formaliter, in quo virtualiter includatur, virtuale enim in formali continetur; non enim potest calor virtualiter contineri, nisi in pipere formaliter, & actualiter tali, & conclusio non continetur virtualiter, nisi in præmissis actualibus formaliter, neque actus scientificus continetur virtualiter actu, nisi in habitu formaliter actu, & formaliter existente; sic similiter non potest dari actu virtualiter voluntarium physicum, nisi detur actu physico formale aliquod actu, in quo virtualiter actu contineatur, ut est aliqua consideratio, v. g. vel voluntas actualis, quæ virtualiter aliam contineat: igitur eo ipso quod omnino cessat quis ab actuali peccato, incipit ipsi peccatum esse non voluntarium.

216 Quod si quis contendat manere voluntarium habitualiter, dico permanentiam habitualem, seclusa omni reali qualitate, seu dispositione, nihil esse, nisi denominationem præteriti voluntarij, & non actualis, quod minime contra nos est.

Ultimo respondent aduersarij, non existere illud voluntarium Physice, sed moraliter, ut est iniuria, & macula.

Contra, & reddit totum argumentum meum supra factum, scilicet quod quando aliquid ens morale est, ad hoc, ut destruat, non est necessaria mutatio physica intrinseca, sed sufficit mutatio moralis in subiecto in quo destruitur: ergo ad destruendum illud voluntarium quod moraliter tantum manet non est necessaria mutatio physica intrinseca, sed solum moralis.

* Quod amplius explicatur, quia moralis permanentia tantum esse potest secundum quandam imputationem, quæ tantum durat moraliter, vel ratione iniuriæ cui est coniuncta, tanquam accessorium principalem, vel propter reatum pene, cui homo manet obnoxius; tamen quia & Deus potest iniuriam suam condonare, & multo facilius penam remittere, & consequenter non solum non inferre penam, sed etiam tollere obligationem illius, tanquam supremus dispensator, & iudex, ideo potest voluntate sua omnino tollere habituale peccatum quacunque ratione expectatum, non exigendo ab homine, actu quo peccatum commissum fiat involuntarium, sed spectando solum, ut iam non sit voluntarium quod per solam cessationem ab actuali peccato sine aliquo actu posito contrario esse potest.

SVBSECTIO II.

Argumentum principale ponitur quo amplius confirmantur dicta.

Quia Deus poterat per potentiam absolutam non eleuare hominem ad ordinem gratie per dona supernaturalia diuina prouidentia præparata, sed solum hominem creare in pura natura; atqui in pura natura posset remittere peccatum in tali statu commissum sine mutatione intrinseca physica peccatoris: ergo absolute potest Deus tollere, & destruere peccatum per potentiam suam absolutam sine tali mutatione physica; Maior est certissima, neque à Doctoribus potest in dubium reuocari in casu, de quo loquimur, per absolutam nimirum potentiam Dei; clarius enim est hoc non repugnare, cum Deus absolute loquendo libere conferat huiusmodi dona supernaturalia: vnde sicut libere dedit, potuit non dare, & sicut eleuauit, & ordinauit, potuit non eleuare, & ordinare ad finem supernaturalem omnino indebitum creaturis sic ordinatis, & eleuatis; quia ad tantam liberalitatem nulla necessitate cogitur, qui ut infinitus Deus supra omnem necessitatem, & coactionem existit.

Minor illa, in qua est difficultas, sic probatur, quia si esset in illo statu necessaria mutatio intrinseca physica, aut deberet esse per alicuius entitatis supernaturalis infusionem, aut per acquisitionem entitatis naturalis; sed neutra esset necessaria: ergo nulla. Minor quoad supernaturalem entitatem sic probatur; quia Deus est infinite misericors, & potens intra ordinem naturæ sine eo quod consideretur intra ordinem gratiæ: ergo est sufficiens ad vincendum, & destruendum peccatum intra ordinem naturæ; sed si non posset destruere peccatum, nisi infundendo gratiam, & supernaturalem entitatem, non esset sufficiens in ordine naturæ ad delendum peccatum, ac proinde non esset in ordine naturæ infinite misericors, & infinite

infinite potens: ergo sine infusione gratiæ, & entitatis supernaturalis potest destruere peccatum. Hæc minor sic probatur; quia malitia peccati simpliciter, & absolute est finita; licet quatenus Dei offensa, & iniuria sit vel infinita secundum quid, vel superioris ordinis ac est iniuria facta creaturæ, sed per vos inter ordinem naturæ sine infusione gratiæ non potest destruere ratione suæ misericordiæ, & potestatis iniuriam illam Deus: ergo misericordia, & potestas diuina intra ordinem naturæ non sunt infinite simpliciter, quia quod sua potestate non potest vincere finitum ut sic, non est infinitum simpliciter; quare si ut Deus sua misericordia, & potestate destruat peccatum, est necesse ut confugiat ad infusionem gratiæ & ordinem supernaturalem, signum evidens est, ut author est naturæ, non habere infinitam potentiam, & misericordiam, quibus peccati maliciam simpliciter finitam destruat, imo debet dici consequenter maiorem esse peccati maliciam quam misericordiam. & potentiam Dei, secundum quod est auctor naturæ, siquidem tota misericordia, & potentia Dei non potest delere peccatum, & destruere eius maliciam: sed hæc non possunt dici vilo modo: ergo dicendum est posse Deum ut auctor naturæ est delere peccatum, ac proinde posse destruere illud sine infusione gratiæ, & entitatis supernaturalis, quæ solam oriuntur à Deo, ut auctore supernaturali.

221 Vergetur; quia si stando intra limites status puræ naturæ non posset deleri peccatum, sed esset necessarium donum supernaturale, non posset tunc homo lumine naturæ ductus sperare, & petere à Deo remissionem suorum peccatorum, sed omnino illi desperandum esset; tunc enim de Deo ea tantum cognosceret homo; quæ lumine naturæ duntaxat de illo sciri possunt: at lumine naturæ donum supernaturale cognosci nequit: ergo neque remissio peccatorum, siquidem hæc per illud tantum fieri potest: ergo cognosceret positive tunc, impossibilem esse talem remissionem, stando intra limites illius status; ac proinde non posset illam sperare, & petere à Deo, sed potius deberet desperare, quod dici nequit.

222 Vnde etiam debet iudicare lumine naturæ maiorem esse malitiam peccati, quam misericordiam, & efficaciam Dei, siquidem tota efficacia, & misericordia sua non esset sufficiens ad remittendum peccatum; ad delendum, & destruendum ipsum.

223 Præterea eo casu etiam cognosceret homo minus potentem misericordem, & clementem esse Deum circa remissionem peccati & iniuriæ contra se factæ, quam esset ipse homo, cum hic in se experiretur, possibile sibi esse remittere inimico iniuriam sibi irrogatam ab illo interdumque imo sæpius illam remittere; Deo autem esse omnino impossibile considerato ut auctori naturæ, ac proinde ipsum Deum nunquam illam remissum, atque ex hoc ipso, quod in se homo experiretur, constaret cogniturum, tunc idem posse Deum, tunc enim sciret homo, non solum honestum esse, sed miris laudibus, & encomiis celebrandum sibi irrogatam iniuriam remittere; ut his non dicam aureis, sed gemmeis verbis eloquentia plenius docuit Cicero, dum alloqueretur Iulium Cæsarem in Marcum Marcellum benignè se habentem, ipsique parentem post bellum civile: Intellectum est enim mihi quidem in multis, & maxime in me ipso, sed paulo ante omnibus, cum Marum Marcellum Senatui po-

puloque Romano, & Republicæ concessisti commemoratis præsertim etiam offensionibus, te auctoritatem huius ordinis, dignitatēque Republicæ tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre; nullius tantum flumen ingenij, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicā exornare, sed enarrare Cai Cæsar res tuas gestas possit, tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem amplioiorem, quam eam quam hodierno die consequutus es soleo sæpe ante oculos ponere idque libenter crebris usurpare sermonibus; omneis nostrorum Imperatorum, omneis exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omneis Regum clarissimarum res gestas cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi nec dissimilitudine bellorum posse conferri; nec vero dissimilissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrarī, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis illustrare sunt, quæ quidem ego, nisi ita esse magna esse fatear, ut ea vix cuiusquam mens, aut cogitatio capere posset, amens sum. Sed tamen sunt alia maiora; nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahare ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ sint Imperatorum & certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum classes, comæatus multum iuvant, maximam vero partem quasi suo iure fortuna sibi vindicat; at vero huius gloriæ Cai Cæsar, quam ex paulo ante adeptus, socium habes neminem; totum hoc quantumcunque est, quod certe maximum est, totum inquam est tuum, nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Cohors, nihil Turma decerpit; quin etiam illa ipsa rerum humanarum Domina fortuna in istius societatem gloriæ se non offert, tibi cedit, tuam esse totam, & propriam fatetur, domuisti gentes immanitate barbaras, multitudinem innumerabilem, locis infinitas, omni copiarum genere abundanteis: sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci possent, habebant, nulla est enim tanta vis, tanta copia, quæ ferro, ac viribus debilitari, frangique non possit. Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate præstantem, non modo extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem hæc qui faciat, non ego cum cum summis viris comparo sed sumillimum Deo iudico, hæc enim res vnus est propria Cai Cæsaris, cæteræ Duce te gestæ, magna illæ quidem, sed tamen multo, magnoque comitatu, huius autem rei tu idem es, & Dux, & comes, quæ quidem tanta est, ut trophæis monumentisque tuis nonnulla vnquam allatura sit finem ætas, nihil est enim opera, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & consumat vetustas, at vero hæc tua iustitia, & animi florescet quotidie magis, ita ut quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. Et cæteros quidem omneis victores bellorum ciuiliū iam ante æquitate, & misericordia viceras, hodierno vero die reipsum vicisti. Vereor ut hoc, quod dicam proinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio, ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta victis remisisti, nam cum ipsius victoriæ conditione iure omnes victi occidimus, clementiæ tuæ iudicio conservati sumus. Recte igitur vnus inuictus es à quo etiam ipsius victoriæ conditio, visque devicta est.

T t 3 Item

224 Item sciret homo omne honestum de se nullam involvens imperfectionem; multo melius esse in Deo, quam in hominibus: ergo ad minus sciret, non esse alienum à Deo, posse remittere, si vellet iniuriam contra se factam: ergo sciret esse possibilem talem remissionem, & tamen tunc id non cognosceret per ordinem ad aliquod donum supernaturale, nec talis doni cognitio esset medium assentiendi, cui propositioni possibile est Deo remittere peccata mea: ergo præberet assensum illi propter medium cognitum lumine naturæ; hoc nullum aliud esse posset, nisi quod Deus haberet sufficientem misericordiam qua per condonationem peccata remitteret, ut quilibet homo potest iniuriam sibi irrogatam condonare, per hanc igitur tunc Deus illam remitteret.

225 Confirmatur; posse Deum peccata remittere scitur & cognoscitur evidenter lumine naturæ, atque in hanc notitiam devenire omnes Ethnici Philosophi Dei potentiam, clementiam, & misericordiam infinitam enucleando penetrantes, ut patet ex illa Aristotelis exclamatione, iam animam efflantis, ac moribundi, Deum amice ac suaviter alloquentis [causa causarum misere mei.] imo omnes mortales, qui à primo lumine cognitionis Deum salutarunt hoc, ita esse putaverunt; quare preces ad illum pro remissione peccatorum fundere, sacrificia offerre, & holocausta comburere hortabantur, ut constat ex tota antiquitate, ut videre est in Augustino Euguino, Chicheriano de funeribus Romanorum. & manifeste etiam liquet ex Alcorano Mahumetanorum, ubi instituantur ceremoniæ, orationes, & preces, quas *Zambrias* vocant, ad impetrandam à Deo remissionem peccatorum omnium.

226 Quod in hunc modum demonstratur; quia in nobis est perfectio posse remittere offensam, non quidem supernaturalis, sed naturalis, quam nobis inesse lumine naturæ cognoscimus, & manifesto experimento quotidie notamus; atqui hæc perfectio non est à nobis iis, & imparticipata; quia omne quod in creatura est participatum, & creatum est, sicut & ipsa creatura; accessorium enim sequitur principale: ergo participata à Deo, ac proinde est in Deo cognoscibilis lumine naturæ; siquidem ex perfectionibus, quas in nobis cognoscimus, procedimus ad cognoscendas alias, & colligendas similes in Deo conclusis imperfectionibus, invisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, virtus, & divinitas, v. g. ex misericordia nostra potentia, sanctitate, scientia, & bonitate nostra colligimus esse in Deo scientiam, sanctitatem, iustitiam, misericordiam, & potentiam, defectus ac depravatis imperfectionibus, quibus istæ virtutes creatæ admiscuntur; atqui totum hoc non possumus scire, stando intra limites naturæ per medium supernaturale, quia tale medium intra naturæ cancellos minime continetur: ergo per naturale medium, quo conuincamur ad assentiendum possibilem esse in Deo modum naturalem ad remittenda peccata; qui alius esse nequit, stando intra limites naturæ, præter dictam condonationem iuxta dicta supra.

227 Tandem, quia si tunc homo sciret, remissionem peccatorum esse Deo, ut auctori naturali impossibilem, ingens ianua patefieret, aditusque referretur amplissimus, ad hoc ut cultus & obsequium Dei negligeretur ab hominibus uniuersis, post primum commissum, & perpetratum

peccatum, neque amplius curarent homines de virtute cum iam illis impossibilis esset consequutio beatitudinis, quæ solum dignum premium est illius; neque Deum amarent, nisi propter hæc temporalia.

Ut hæc omnia vident aduersarij respondent, 228 reuelaturum Deum se per media supernaturalia remissurum peccatum.

Contra; quia iam hoc est exire ab statu puræ naturæ, & fines naturales persilire, & confugere, aut transgredi ad ordinem supernaturalem: ergo si Deus nollet à tali statu exire, omnia illa sequerentur absurda contra Deum auctorem naturalem, neque vitari possent ab ipso operante, solum ut auctore naturæ, quod dici non potest, quia potentior est in quocunque ordine Deus, quam malitia peccati, neque in ullo ordine potest misericordia infinita Dei vinci, aut eminentissima, & perfectissima liberalitas, & clementia à grauitate peccati finita simpliciter superari, quod contingeret, si Deus intra ordinem naturæ nullo modo posset condonare peccatum, & remittere sibi irrogatam iniuriam quantumvis grauem.

Ais probare hæc omnia, lumine naturæ cognosci Deum posse remittere peccata non vero inde posse inferri, ipsam posse ea remittere in statu puræ naturæ per solam condonationem, cum bene possit cognosci aliquid lumine naturæ quoad an est, & ignorari illud quoad quid est.

Sed contra; quia licet hoc ita sit, tamen cum aliquid lumine naturæ, ut possibile cognoscitur quoad an est, necesse est ut euidenter solatur omne argumentum probans, reduci non posse ad actum, & executionem, illud an est; stando intra limites naturæ, alias si nullo modo reduci potest, sed potius implicat, stando intra limites talis status, implicabit etiam sine dubio intra eundem statum, ipsum quoad an est, & ita neque quoad an est poterit cognosci vere illud quoad an est esse possibile, stando intra illum statum.

Ut euidenter patet in euidenti, & certa cognitione Trinitatis, quia enim nullus modus potest dari, per quem stando intra limites puræ naturæ reduci possit in actum cognitio euidens, & certa sacrosanctæ Trinitatis, ideo non solum est impossibilis quoad quid est, stando intra limites naturæ, sed etiam quoad an est, sic enim lumine naturæ non potest cognosci mysterium Trinitatis, neque attingere possumus certe, & euidenter cognitionem certam, & euidenter illius mysterij esse possibilem quoad an est; atque ita nullo alio medio probatur, illam esse impossibilem, etiam quoad an est in pura natura, nisi quia in illa non est possibilis modus, quo fiat, executioni mandetur, & in actum reducatur: ergo similiter in proposito.

Aliter respondent aduersarij, adducentes implicationem, quæ reperitur in remissione peccati sine infusione entitatis supernaturalis, quæ implicatio se habet ex parte effectus, qui non videtur factibilis sine forma positiua gratiæ, quia auersio, quæ est in peccato tolli non potest nisi per conversionem.

Sed contra, quia ratio huius responsionis solum videtur conuincere perfectam peccati remissionem quoad omnia damna, quæ nunc inferuntur in hoc statu gratiæ, non posse fieri sine physica mutatione peccatoris per infusionem gratiæ, quod verissimum est, talis enim homo priuatus se quando

cardo vera, & supernaturali conversione ad Deum; unde donec illam obtineat, non liberatur omnino ab omni damno quod peccatum intulit; non potest autem iterum conversionem illam supernaturalem comparare sine mutatione physica; non tamen videtur probare ratio illa de remissione quoad formalissimam rationem peccati propterea esse in statu purae naturae; quae tamen sufficeret, ut homo iam non esset in peccato, neque inimicus Deo, nam ad hoc non videtur necessarium, ut qui per peccatum fuit averfus, conversus fiat iterum supernaturaliter, sed satis est ut fiat non averfus; potest autem fieri non averfus, etiam si non fiat conversus; sicut potest esse non inimicus, etiam si non fiat amicus; nam formaliter, & praecise loquendo destructio formae non semper requirit causam formalem contrariam; sed tantum carentiam talis formae.

235 Quia vero in forma privativa videri hoc potest difficile; ideo de aversione intelligi posse dicitur per modum formae contrariae; per peccatum enim fit homo averfus quasi contrarie; quia voluntate sua se avertit, id est privat debita conversione in Deum, & ideo manet odiosus Deo, & inivisus ipsi, & quando hae aversio sub hac ratione durat, non tollitur nunc peccatum; fieri autem potest ut absque conversione positive opposita tollatur illa aversio, ut moraliter contraria est conversioni, vel in ratione purae negationis moraliter, ut si Deus remittat homini priorem offensionem, simulque tollat ab illo debitum habendi talem conversionem, reducendo illum ad statum purae naturae, ut est casus, de quo loquimur in hoc secundo argumento. Vel etiam relicto, & permanente hoc debito, & ordine ad finem supernaturalem, potest contingere, & fieri, ut maneat illa carentia conversionis in ratione purae privationis physicae, & non in ratione moralis aversionis; haec enim includit rationem iniuriarum, quae per remissionem offensae tollitur, & ea sublata non manet fundamentum inimiziae, neque obiectum illud manet ex se odiosum, vel inivisum, etiam si non maneat gratum, vel amicum.

236 Quod manifestatur clarissimo exemplo humano; quia hoc modo potest unus homo remittere offensam alteri, etiam si illum non recipiat in amicitiam suam, vel bonum aliquid ei communicet; nam licet in hoc efficacior sit voluntas divina, quam humana, tamen non cogitur Deus aut necessitatur omnem suam efficaciam exercere, sed potest id praecise, ac formaliter velle quod ad remissionem iniuriarum, & ad inimiziam tollendam necessarium est; nihilque amplius volendo; ergo potest velle tantum remittere culpam, & destruere peccatum, nam carentia mali quoddam bonum est, quod potest esse obiectum divini amoris.

237 Eadem illa praecipua & principalis minor quoad acquisitionem entitatis naturalis, seu quoad actum naturalem est certissima, ut patet in statu elevationis ad gratiam, in quo nullus actus naturalis requiritur ad remissionem peccati; ergo neque tunc in statu purae naturae esset omnino necessarius talis actus; quod efficaciter ratione generali sic demonstratur, quia omnis actus, qui requiritur potest ab homine ad remissionem peccati, nunquam est per modum formae expellentis peccatum, nam si contritio à charitate elicitur, quae actus supernaturalis charitatis perfectissimus est, non est forma remittens peccatum, sed solum conditio, ut Concilium Tridentinum definit,

quanto minus poterit esse actus naturalis forma expellens peccatum: ergo solum potest concurrere, vel per modum materialis dispositionis, vel per modum aliquis recompensationis, seu satisfactionis ex parte hominis; vel per modum conditionis necessariae ex Dei institutione; at vero in nullo istorum modorum tanta necessitas reperitur, ut oppositum repugnet simpliciter, vel contradictionem involvat: ergo. Probatur minor, quia dispositio subiecti nunquam est ita necessaria, quin possit Deus sine illa formam inducere, ut supra etiam visum est.

Similiter facile posset Deus omnem satisfactionem obligationem remittere, vel conditionem non exigere; quia licet secundum modum connaturalem merito exigatur, ut moralis remissio in persona ratione utente morali modo fiat; nihilominus cum illa conditio, vel non sit causa propria remissionis peccati, vel ad summum tantum sit disponens, & preparans subiectum ad illud sine illa sufficiat omnipotens voluntas Dei ad faciendum remissionis effectum sine tali conditione, seu mutatione.

Deinde, quia cum in statu purae naturae solum posset exigere actus naturalis mere, & iste non habeat efficaciam ullam ad remissionem peccati propter disproportionem illius respectu huius ad summum acceptaret Deus illum ex mera liberalitate: ergo etiam posset liberalitatem augere, concedendo remissionem sine tali actu; nam remissio semper est aliquid distinctum à mutatione illa physica, quam actus facit in homine, & est ita separabilis ab illo ut stante tota illa physica mutatione; nulla remissio fiat: ergo & converso esset tunc ita separabilis remissio peccati à mutatione physica per actum, ut licet haec non praecederet, posset illa concedi; quid enim potest ita limitare Dei liberalitatem ut sine illa pravia conditione possit hoc beneficium facere; cum in re sit distinctio, & nulla connexio essentialis appareat.

Ultimo videtur, quia Deus sine actu bono peccatoris praevo compatitur, ut ita dicam misericordiam peccatoris, & misereatur illius, & ideo vocat illum per auxilia congrua, ut convertatur ad ipsum, & aliquando non solum nullo praevo bono actu, sed potius dum peccator maiora operatur scelera, & peccata, quibus magis, ac magis divinam misericordiam irritat, misereatur Deus peccatoris, & convertit ipsum propter suam misericordiam, ut colligunt multi Doctores ex Evangelio ex illis verbis, blasphemabant eum, contigisse bono latroni in cruce pendenti; quod certum est in conversione D. Pauli, qui adhuc spirans minarum & caedis in discipulos Domini furoribus correptus adversus Christum ab ipso conversus est: ergo potest augere misericordiam, & sine aliquo actu remittere peccatum, cum infinita misericordia gaudeat, quae nullis terminis limitatur, aut circumscribitur.

Mirabili comparatione inter omnipotentiam ad creandum; & misericordiam ad condonandum peccatum, probatur haec veritas.

Sed concedamus nullo modo dari in creatura huiusmodi misericordiae genus (quod solum caecutientes, & lippi negabunt, cum frequentissime ipsum oculis usurpemus, quod clarissime experien-

perientia manifestat) certe poterit dari in Deo, & patet breuiter, quia si Deus ex eo quod habet infinitam potentiam potest ex nihilo physico, vt ita dicam, nulla prae-supposita materia, neque materiali dispositione ex parte creaturae, erueret illam adesse Angeli, & creare animum rationalem: ergo similiter propter infinitam misericordiam, & potentiam, quam Deus habet poterit ex nihilo mortali peccati (de quo dixit Ioan. Euangelista, sine ipso factum est nihil, idest peccatum, vt ait Augustinus) & nulla prae-supposita materia, seu motiuo ex parte hominis misericordiae, & dispositione mouente Deum ad exercitium misericordiae, vt est actus contritionis, & retractionis, sed solummodo motus Deus infinita sua clementia, & liberalitate, allectusque motiuo ostendendi infinitos suae magnificentiae thesauros, erueretque ad esse non peccatoris, & creare ipsum quasi moraliter, faciendo illum non inimicum, & odio dignum, ita vt non solum misereatur peccatoris, ac compatiatur, vt sic dicam de miseria illius, sed etiam remittat omnem peccati maculam, & iniuriam sibi factam, & contra se commissam, in quo nulla difficultas, attenta, & ponderata aequa rationis lance profundissima diuinæ misericordiae & magnificentiae abissi, poterit reperiri.

242 Exemplo humano manifestatur aperte; nam saepe contingit, vt ex eo solum quod vnus homo videat miseriam alterius nullo prauo actu ipsius pauperis, compatiatur miseriae illius, & ex compassione ita efficaciter misereatur, vt non solum remittat iniuriam sibi factam, sed & debitum contractum ex mutuo, siue ex emptione, & venditione, siue tandem ex quocunque contractu cautum in indigente, seu paupere illo: sed hoc totum maxima perfectione elementariae, misericordiae, & liberalitatis est, & tanto magis crescit liberalitatis splendor in misere, quanto minus inuenit ex parte pauperis operi mandatum ab eodem, quo moueret ipsam misereantem: ergo perfectius poterit dari hoc genus misericordiae in Deo, quo non solum sine actu peccatoris misereatur Deus, compatiaturque, vt ita dicam, de miseria pauperis ob suam misericordiam, & liberalitatem; sed ulterius progrediatur ostendendo magis, ac magis infinitam excellentiam & virtutem suae misericordiae, augendoque liberalitatem remittat peccatum, destruatque miseriam illius peccatoris, ac funditus extinguat debitum ratione peccati contractum, nullo prauo actu ex parte peccatoris; & ratio est, quam supra insinuauimus quod omnis perfectio, quae datur in creatura, cum sit participata à Deo, est in ipso Deo perfectiori, & eminentiori modo, ablatiue omnibus imperfectionibus, reperitur in ipso: ergo si est perfectio huiusmodi misericordiae exercitium, ubi remittitur iniuria, & debitum nullo prauo actu ex parte debitoris, vt sine dubio, & sine controuersia est, sine dubio, aut tergiversatione dabitur in Deo perfectiori modo, ablatiue imperfectionibus.

SVBSECTIO XII.

Tertium argumentum principale ponitur.

243 Sic argumentor, & confirmo amplius, id quod dictum est: Quia vt bene notat P. Suar. tota ratio excogitandi tantam necessitatem huiusmodi actus retractantis peccatum praeteritum supponit

falsum fundamentum, nimirum peccatum semel commissum esse irremissibile, donec sit aliquo modo ab homine retractatum, nam homo non facit illud remissibile per suum actum, sed ipsum natura sua tale est, quatenus est obiectum diuinæ misericordiae, & potestatis, neque vt sit remissibile oportet, vt fiat involuntarium per subsequentem actum, quia nunquam potest esse involuntarium elicitum vt sic dicam, sed solum obiectum, quatenus esse potest obiectum subsequentis displicentiae, illa autem denominatio obiectiua, licet fundetur in actu, qui est congrua dispositio ad placandum Deum, non tamen ostenditur, neque est quasi causa formalis talis remissionis, aut essentialis conditio, vt peccatum sit remissibile, vt ex dictis supra, & ex dicendis infra patebit.

Nunc ergo ex his omnibus talis potest conclusi ratio: nam remissio peccati formaliter, ac precise sumpta non dicit actionem physicam Dei ad extra, sed tantum denominationem ab actu interno Dei, cum respectu temporali ad mortalem effectum factum in homine: ergo per se, & intrinsece non requirit mutationem physicam in homine, cui sit talis remissio: ergo non est talis mutatio simpliciter necessaria ad effectum talis remissionis, quae est vera destructio peccati, seu vera translatio hominis ab statu peccati ad statum carentiae eius, qui à Doctoribus status innocentiae in bono sensu appellatur, licet non sit translatio ad statum sensu appellatur, licet non sit translatio ad statum iustitiae, sanctitatis, & amicitiae, haec enim separabilia sunt. Primum antecedens probatur, quia loquimur in casibus, in quibus non fit remissio quoad carentiam realem habitus gratiae, quia vel non supponitur talis carentia, vel non interuenit illa, & ideo tolli non oportet, vt ex dictis supra patet, imo etiam nunc remissio peccati est aliquid ultra physicam infusionem gratiae, & ultra omnem actum peccatoris: ergo remissio haec precise spectata non consistit in actione physica Dei ad extra: inde est euidens prima consequentia, quia si ex parte Dei non est actio physica, neque ex parte hominis potest esse physica mutatio, cum haec non nisi ex actione Dei esse possit: secunda item consequentia probatur, quia voluntas Dei efficax est, & sola sufficiens ad remittendum peccatum homini non resistenti per actuale peccatum, etiam si illi non cooperetur per actum contrarium. Respondent aduersarij adducendo repugnantiam 245 in hoc modo remittendi peccatum, quia esse in peccato nihil aliud est, inquit, quam peccasse, & peccatum non retractasse, sed ex his duobus primum non potest auferri, faciendo quod non fuerit, quia ad praeteritum non est potentia: ergo sine secundo idest sine retractione peccati, vel formali, vel virtuali, vel eminentiali, qualis est in infusione gratiae non potest auferri à peccatore status peccati, seu esse in peccato: ergo sine mutatione physica non potest ille actus auferri.

Sed contra, quia status peccati, seu esse in peccato neque formaliter, neque adaequate explicari debet per illas duas partes, scilicet commissum, & illud non retractasse, vnde in rigore maior propositio in argumento assumpta falsa est, & ab aduersarijs nullo sufficienti testimonio, vel efficaci ratione probatur.

Nos autem probamus esse falsum, quia fieri potest vt peccatum iam commissum, non sit retractatum, sed etiam sit retractatum, & nihilitum solum, sed etiam sit retractatum, & sit in peccato: hominus homo maneat peccator, & sit in peccato: ergo esse in peccato non dicit illa duo formaliter. Antecedens patet de facto in homine detestante sua peccata per attritionem: & non suscipiente sacramentum